



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ærumnæ D. N. Jesu Christi

Thomé <de Jesus>

Monachii, 1676

Ærumna XXXIII. Carcer Domini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)



Essi Principes populi, Sacerdotes, Doctores & Pharisei ludibriis Christo illatis, per bonam partem noctis, domum ivere, collecturi novos contra eum spiritus in crastinum, imperatâ militibus diligente custodiâ. Credibile est autem, eos parùm cepisse quietis aut somni, stimulante eos malitiâ suâ; ut in omnem partem se versarent, quâ suos conatus ad exitum opratum promoverent, multa metuendo, multa excogitando, quæ manè proferrent in consilio. Ut enim, teste S. Chrysostomo, malitia nunquam fatetur se victam, utcunque demonstratione apertâ veritatis convicta; sic etiam nunquam satiatur, utcunque defessa sit, donec evenerit malum, quod desiderat. Nam cor semel obfirmatum in malo proposito, ac destitutum gratiâ Dei, magnam cum inferno similitudinem habet, qui quantumvis torqueat & urat, nunquam tamen dicit, sufficit. Etenim non modò perdiderant omnem sensum compassionis, tam proprium cordi humano; sed etiam viso tam oprato initio exercendi sui erga Dominum odii, magis accensi fuerunt ad ea perficienda, quæ restabant. Unde & reliquum noctis longum putabant, etsi multum non esset. Nam apud Annam, post primam negationem Petri, jam gallus cantaverat: & impensis facilè duabus horis apud Caipham, post secundam ac tertiam abnegationem, secundo cantavit. Quo facto Petrus, radio gratiæ divini tactus, exivit ad expiandam suam culpam, Domino in manu Custodum relicto.

*Cor orarū
in inferno, si
mala est,*

Malli fidi

II. Quia verò inimici ejus persuaserant sibi, veneficum esse, non fidebant solis custodiis, nisi etiam vinctum includerent, sive in carcere, qui fortè in ædibus summi Pontificis, veluti magistratus, erat; sive in alio conclavi bene munito, pluribus eum custodibus commendantes, manibus ligatis, & fune in collo ad parietem, aut anulum ferreum, aut simile quid adstricto. Erat anni tempus, quo sol oritur manè horâ sextâ, quam illi primam (videlicet diei) vocabant. Superfuit ergo parum ad lucem; sed ea passus est interim

interim Christus, ut cuilibet alteri captivo visum esset tempus longissimum. Neque enim habuit, ubi caput reclinaret, sudore sanguineo, raptatione per urbem, calcibus, alapis & injuriis utique plurimum debilitatus. Accessit improbitas vigilum, qui tum suâ malitiâ & instigatione diaboli, aliquid impatientiæ ab eo extorquere volentis, quod nec dum satis certus esset de Christi persona, verène esset filius Dei, cum etiam studio principibus placendi, & spe remunerationis ab eis accipiendæ invitati, nullam Domino quietem indulgere, sed potius omnem petulantiam scurrilem exercuerunt in eum, crudius etiam ipsis Judæis pro more & indole sua vexando, & affligendo.

III. Cogitare licet, principibus digressis, ut solet in ædibus magnatum, vacuum jam aliâ occupatione famulitium Cai-phæ, servos, coquos, ancillas, pueros mediastinos convenisse ad novum spectaculum, & Christum visendum, qui ex falsâ opinione, quod esset impostor & veneficus, etiam non abstinerunt sannis, irrisionibus, & maledictis. Certè non fuisse, qui compateretur, aut aliquid afferret solatii, novimus ex Prophetis: nec desunt, qui reputent, ea, quæ Dominus tunc passus est, fuisse inter præcipua tormenta passionis totius. Licet enim Evangelistæ illa non descripserint; crediderunt tamen per seipsa facile colligenda à fidelibus, & Christum amantibus: & manifestabuntur olim in Judicio. Sanè ab immenso pelago amoris divini non potuerunt non provenire cruciatuum fluctus immensi, quos nulla lingua, calamus nullus explicaverit unquam. Sufficiat, eos in S. Scriptura comparari tempestati maris furentis, quo submersus, non tamen suffocatus est. *Veni, inquit, in altitudinem maris, & tempestas demersit me.*

*Cruciatus
Christi ex-
plicari ne-
queunt.*

*Psal. 68.
vers. 3.*

IV. Inter has injurias Redemptor mundi tacebat, sustinebat, ac parabat se ad perpetiendâ majora. Quantumlibet enim sint magnæ vires malitiæ ad inferenda mala, majores tamen sunt amoris ad perferenda pro illo, quem amat. Et ut sua divina majestas amore infinito complectebatur homines, etiam eos, à quibus cruciabatur, dum sui hostes domi acuerent iras, & novas inventiones contra ipsum, ut satisfacerent odio suo, & custodes

*Amor ma-
litiæ vires
superat.*

non parcerent: ita cor Domini JESU reficiebat se amore per ea, quæ patiebatur, inflammabaturque desiderio longè plura sustinendi. Nihil erat, quod perturbaret animum ejus; atque ita laxabat sensibus, & corpori suo sentiendi omnia, quàm distinctissimè & acerbissimè; ut tamen spiritu esset quietissimo, tranquille & accuratè faciendo officium Salvatoris mundi, cum omni efficacia & integritate, coram Patre æterno, non sine ferventissimis petitionibus, & liberalissima sui oblatione ad omnia, quæ pro peccatoribus referenda fuerunt. Atque, ut hæ tres vel quatuor horæ ante lucem sunt aptissimæ ad orandum; ita illis ad hoc uti solent servi Dei, posteaquam corpus aliquâ quiete refecerint, associantes se Christo: qui ex una parte per solitudinem noctis patiebatur maxima tormenta ab inimicis; ex altera difflebat lacrimis, parùm intellectis ab his, qui eas videbant; & effundebatur in excessu ardentissimæ orationis, & amoris erga eos, quos redimebat. Et ut ex hoc numero se nemo potest eximere; sic unusquisque habet in illo socium, à quo juvetur in agendis gratiis, quas Deo debet in dolore, quem sentit; in amore, quo inflammetur; in fructu sui Spiritûs, quem colligat: & insuper cor tam fidele, ut qui voluerit mente obire passionem ejus, in qua non habuit consolatorem, non minùs gratam sit habiturus ejus compassionem, quàm re ipsa præsens foret ei compassus.

Oratio solatiump in ærumnis.

V. Hæc internâ occupatione, quam habuit Christus in ferventi oratione, inter omnia, quæ die suæ sacratissimæ passionis pertulit, docuit affictos filios Adæ, qui degunt in continuis ærumnis vitæ, ubi reperturi sint cærum, & unicum solatium, scilicet per orationem in Deo. Quia duo sunt, quæ faciunt ærumnas graves & intolerabiles. Primum, quòd non agnoscatur manus, à qua proveniunt cum pondere & mensura, quâ expedit nobis. Secundum, quòd recurratur tardè ad eum, qui solus potest juvare, & est ipse Deus, qui illas immisit. Tota, vel major pars occupationum vitæ est, fugere ærumnas, & requiem quærere. Sed quia terra est exilium, in quod sumus proscripti è Paradiso, tot sunt inimici, tot defectus naturæ, tot mala, quæ illam circumdant, ut impossibile sit effugere, quod nos insequitur, hoc est, miseria;

& affe-

& assequi id, quod nos celerrimè fugit, hoc est, quietem in hac vita. Et major pars hominum, quæ vivit sine cura conversationis cum Deo, nescit aliud spectare, quàm quis mali sibi illati sit auctor: tribuit autem illud vel fortunæ, & infelicitati suæ, vel queritur de hominibus & malo successu; vel procurat mediâ multò pejora, vel denique præ rabie rodendo seipsum, jam huic, jam alteri rei tribuit causam, quarum nulla potest eum liberare: & sic ab una ærumna, & displicentia incidens in aliam, vitam degit longè fastidiosissimam.

VI. Remedia, quæ communiter adhibent suis malis, sunt ^{Tempus} mera perditio temporis nobis dati, & necessarii ad procuratio- ^{medium sibi} nem salutis ac vitæ æternæ. At, quæ nostra est miseria, nos illad ^{uitis.} impendimus rebus & laboribus, qui horam mortis faciunt nobis periculosissimam, & à quibus nihil expectare possimus, nisi maximos dolores internos, provenientes à delectationibus, quas quæ- sivimus ad leniendas nostras ærumnas. At, qui agunt cum Deo, & in speculo vitæ Christi considerant, quid ipsis conveniat, fide divina certi sunt, ærumnas hujus vitæ sibi provenire à manu Dei ad promerendam vitam æternam; ac dum sentiunt aliquam afflictionem, undecunque obortam, agnoscunt & adorant manum paternam Domini, qui sic ordinavit; & confisi de bonitate & amore illius, qui disponit omnia, cum eadem infirmitate & impatientia naturæ, quam sentiunt, exosculantur manum se castigantis, agnoscetes ab eo provenire omnia, quantumlibet excogitata per malitiam hominum: quia probè noverunt, homines malorum inventores alteri nocendi potestatem non habere, nisi Deus concedat, ac malis aperiat januam: quæ tamen ipsa tantùm exterius ladere, sed ad interiora penetrare non possunt, DEO sibi soli adiutum ad ea reservante. Cum hac certa fide servus Dei, in medio suarum ærumnarum offert se Domino, agit cum illo, & cor suum pro amore, ac fideli subjectione elevat ad illum, ferventi oratione omnia sua ipsi committendo, & quælibet mala hujus vitæ acceptando ab eo, tanquam viam rectam ad Deum, per amputationem superfluarum oblectationum vanitatis, & commoditatum corporis; ad augendos thesauros meritorum, & societatem

Christo patienti præstandam, cujus vestigia sequi semper desiderat; cum in eo solo veram consolationem inveniat. Atque in hunc modum, qui hujus vitæ pertæsi ad cælestem anhelant, solliciti placere Deo, hi soli consolationem habent in hac vita, qualis haberi potest, velut in vespere & initio felicitatis æternitatis.

*Resignatus
perpetua
quiete fru-
itur.*

VII. Hæc est materia sacrae Scripturae, doctrinae & vitæ Sanctorum, ab iis copiosè tractata. Hic sufficiat probatio longè clarissima, quam præbet experientia. Conferantur inter se duo, unus immemor Dei, & sui ipsius amator, alter immemor sui, & amore Dei resignatus in manus illius inter ærumnas, solatia, gustus, disgustus hujus vitæ. Uter horum meliùs habuerit, & inter adversa æquiore animo fuerit, ille enim verò veram viam ad quietem, quæ in hac vita potest haberi, invenerit.

EXERCITIUM

De Carcere Domini.

I.

*Omnipo-
tentes ma-
nus ligavit
amor.*

Vbi te ponunt, Deus animæ meæ, sine hoc peccatore? quomodo te ligant, relicto me libero? quid est hoc, Domine? tu inter pedicas, cum fune in collo? nonne es tu, mi bone JESU! ille fortis ac potens, de quo gloriatur David, quod solvas compeditos? nonne es tu ille, quem, cum Judæi lapidare & capere vellent, non potuerunt? quomodo igitur, amor animæ meæ, fortitudo cordis mei, factus es debilis? estne robur tuum in capillis, sicut olim Samsonis? ô quomodo potuerunt illi te incarcerare, & vinctum tenere? ô verè amator animarum, quem solus amor potuit capere, tenere, includere; quia te offers ad omnia pro meo remedio & amore! adoro & laudo hunc amorem, quem erga me geris: adoro te, qui es tam constans ad omnia sustinenda pro me, nec admittis quietem, donec perfeceris omnia, quæ proposuisti pro meo remedio. Non sumes tibi saltem paucas horas pro quiete usque ad lucem, ut respices nonnihil ab iis, quæ passus es hæc nocte, ut ad reliqua confurgas vegetior & alacrior? homines & jumenta, volucres & viatores noctem habent ad quiescendum: in te solo consumitur verberibus & injuriis? mutemus vices

vices, Domine: fac me capi, ut quiescas tu parùm. Sed quia non vis, & ego te hîc habeo vinctum; priusquam te hinc abducant, aspice me piis oculis. Vide hoc meum cor, ut ad te suspirat; ut altâ voce implorat misericordiam tuam. Aspice, Domine, meas necessitates, & iuva me: da mihi spiritum te comitandâ, ut sentiam tuos dolores, & imiter exempla tua.

II. Qui furantur, non quiescunt nocte, ut obtineant, ^{lesu nulla} quod volunt. Sed tu, bone Jesu, ac Dominus animæ meæ! quid ^{conceditur} indiges nocte ad opus tuum, ut non quiescas, donec perfectum ^{quies} fit? si vis, ô vita animæ meæ! die & nocte intentus esse cordi meo, ut id rapias, noli perdere somnum, bonum animæ meæ: ecce illud: cape id è manibus peccatorum, quæ id possident: accipe illud tecum, & quiesce: reclina caput in illud, & quiesce. Audi clamorem necessitatum mearum, ac desideriorum cordis mei, ^{nisi in cor-} qui audis tantas injurias ex ore gentis istius improbæ. Noli atten- ^{de hominis.} dere, Domine, blasphemias, quas evomunt isti; sed fidem, quam in isto corde plantâsti: cum eâ, & quanto possum amore te adoro, ut Deum meum, pacificatorem meum, unicum magistrum, & potentem Salvatorem meum.

III. Obliviscere, Domine, molestiæ, quam inferunt tibi hæc vincula: quia possunt me expedire à vitis meis, sicut tu desideras. Ne recorderis, Domine, crudelitatis & crudelitatis eorum cordium, quæ te non amant, nec aliquam tecum compassionem habent inter hos tuos cruciatus: conjice oculos in hunc tuum, quamvis miserabilem, peccatorem, quem illuminâsti tuâ fide, qui que desiderat te consolari, & in se recipere tuas ærumnas, & te in animam suam. Quiesce, Domine, in eâ, quandoquidem dignaris eam accendere tui amore: ac licet hæc domus magnitudine tuâ indigna sit, ac miserabilis, ut vides; nihilominus ipsa te unicum Patronum, Dominum, & perpetuum incolam habere desiderat. Ingredere, Domine, & requiesce in isto corde, donec es captivus; ac licet non merear, tamen horæ sunt paucæ, dum sol oriatur; & ego saltem meliùs, quam hi perversi, te cognosco, pro meo vero, unico & summo bono. His paucis horis potes me capere tui amore, & vinctum postea ducere tecum ad ea, quæ imminente

die toleranda supersunt. O bone JESU ! non possum dicere id, quod jam desidero : tu scis : & quia plantas in corde meo hæc desideria, exple illa, sicut potes : appareat in me virtus istius captivitatis, horum vinculorum, istarum injuriarum, quas pateris ; & amoris, quem erga me geris, quòque pateris omnia. Et licet omnium ego sim causa, monstra in me, quantò plus possit misericordia tua, quàm mea peccata.

*Confiden-
tia in boni-
tatem di-
vinam.*

IV. Non dubito, ô vera salus animæ meæ ! de vi amoris, quem erga me habes ; nec de misericordiâ, quâ mihi desideras ignoscere, & recipere me in amicitiam tuam ; sed mihi diffido & malæ consuetudini peccandi, quam habeo ; & metuo, ut me separeret à te, & faciat indignum gratiâ tuâ. Quia tamen, Domine animæ meæ, dolorem ac poenitentiam relinquis nobis pro remedio malorum nostrorum ; per hæc vincula, bone JESU ! tibi supplico, ut obliviscaris molestiarum, quas hi miserabiles peccatores tibi auferunt, & priusquam abducaris ex hoc loco, audias meam confessionem, quam ut peccator tibi offero. Ignosce mihi, Salvator animæ meæ, causam, quam dedi, ut incarcerareris & ligareris ; quia scio meis peccatis factum, ut tractareris tam indignè. Ignosce, Domine, nimis liberis cogitationibus meis : constringe illas tecum, Deus meus, ne ita vagentur per res viles, quibus semper adhærent. Accuso coram te, Redemptor meus ac Domine ! hanc libertatem linguæ tam pronæ ad ea, quæ lædunt animam meam. Accuso licentiam sensuum meorum, qui tam longè me removeant à te, salus mea ! Accuso, Redemptor meus ! tepiditatem amoris, quem tibi debeo ; incuriam & magnam negligentiam cordis mei, quod elegisti pro tuis obsequiis ; libertatem voluntatis meæ tam distractæ per varios affectus, contra legem ac divinum tuum servitium. Omnia, Domine, damno coram te intus & foris ; quia libero arbitrio, quod mihi pro tuo honore dedisti, malè utor in omnibus : & ô quàm malè, & quantum contra te ! Miserere, Jesu animæ meæ ! fac ut hi lictores me capiant : quia vides me perire, quando sum liber. O si non amplius liber essem ad malum ! ô si potius captivus essem pro te, quàm liber & se-
junctus à te !

V. Quia

V. Quia, Domine, dissolutio meae libertatis te ad hanc patriam pertraxit, fac me tuum socium in illis. Amodo, spes mea! configno tibi meam libertatem: tua est, quia tu mihi eam dedisti; & ego meritò illà privor, quia malè sum usus: & quia mihi eam non aufers, par est, ut ego ultrò eam tibi restituam, quia tuum donum est. Hic eam tibi configno, Deus meus, ac Dominus meus! recipe eam cum misericordia. Accipe, nec permitte me illà uti ampliùs. Noli eam mihi reddere, etiamsi fortè petiero; ne fidas mihi ampliùs, quia vides, quòd cum eà te prodam. Tu, bone Jesu! qui es Via, Veritas & Vita, loquere linguà meà, vide oculis, audi auribus meis, move sensus & membra mea secundùm voluntatem tuam; trahe ad te cogitationes meas; reside in corde meo; alliga me voluntati tuæ, & fac me, quidquid vis. Hic me, Domine, abjicio ad pedes tuos, velut altera mulier peccatrix; & osculor toto corde has catenas, hæc vincula: adoro istas injurias, quas sustines pro meà salute. O si me neceres funibus amoris tui, meque tibi alligares! ô si auribus animæ meæ audirem unam vocem ex hoc suavissimo ore, quod video tam taciturnum, ac tu diceres mihi, remissa esse peccata mea, quia multum dilexerim! ô quando veniet hæc hora? ô quàm facilè hoc tibi esset, optime Jesu! noli tacere mihi Domine, quamvis taceas ad omnia, quæ inferunt tibi. Noli tacere isti cordi, quod te desiderat. Dic, Domine, unum verbum, quo me tibi adstringas: dic mihi, salus tua ego sum. Credo te esse, spes mea! sed desidero, ut interiora mea audiant te hoc dicere: Quia vox tua secreta suavis ac dulcis, penetrabit, ac tibi adstringet vires animæ meæ.

VI. Verum est, ô Jesu animæ meæ! quòd hoc tuum silentium damnet mala mea; sed tu, Verbum divinum, loquere interiùs, ut te audiat, & intelligat anima mea, & capiatur suavitate, luce & veritate vocis tuæ. Recordare, Domine, quòd dixeris per Prophetam Oseam, te nos tracturum in funiculis Adam, in vinculis Charitatis. Vides hic, Domine, funiculos Adam. Hæc tua sacratissima Humanitas, hi colaphi, catenæ, vincula, hæc injuriæ hæc peccata Adami, & filiorum ejus, quæ in te suscepisti expianda in isto

Libertas
nostra
Christum
in vincula
conjecit.

Verbum di-
vinum in-
terius allo-
quitur ani-
mæ,

in isto carcere, sunt funiculi Adam. Ubi ergo, mi Jesu amor animæ meæ! sunt nodi amoris & charitatis, quibus constringar? cur inter ista ego sum liber? quomodo tam liberè incedo per omnia mala, quæ volo? quis tenet hos funes, ne me capiant, ne me vinciant? trahere jam, Domine, hos funiculos amoris: fac, ut me simul tecum adstringant: liga me, stringe me, illaquea me; trahere me illis ad te, ne unquam amplius recedam à te. Fac, Domine, ut sentiam, & æstimem dolores tuos, & insistam vestigiis tuis: noli pro me tanta subire in vanum. En pro eo, quod non mereor, impetrando, tibi ob oculos pono hos funes & vincula, & amorem, quo sustines illa, & desideras pro mea salute.

*Christus
pro offensis
dentibus
se patitur.*

VII. O si dignus essem intelligere occupationes cordis tui, quibus intentus fuisti his horis, quando vidisti te in vinculis tam indignè tractari à custodibus! isti conscelerati omnes suas cogitationes & studia intendunt ad te vexandum; tu verò omnes sensus, ac totum corpus tuum offers ad patiendum, animo interim occupato in rebus divinis, pro remedio eorum, qui te affligunt, & omnium hominum, propter quos pateris; & pro corroboratione tuæ sacræ humanitatis, ut vegetior sit ad reliqua sustinenda, quæ restant. O Deus meus, ac Dominus meus! quam verè dixisti, refrigerium inventuros, qui recurrunt ad te! nunquam malè fuit mihi, quando veni ad te: nunquam bene, quando recessi à te: quia nihil est boni, sine te. Quando animum averti à te, quavis afflictio me suffocat: cum autem animum converto ad te, quantæcunque sint ærumnæ, non timeo. Et quomodo sine te possim esse fortis, unica fortitudo mea?

*Extra
quem nulla
salus.*

VIII. Ideo, Deus meus, fatigor, ideo affligor, ideo contristor adversis & malis, quòd eis mederi velim sine te, nec te quæram, nisi quando jam illis penè suffocor. Tecum omne asperum leno, levis est omnis calamitas, dulcis afflictio: quia præsentiam tuam illuminas tenebras nostras, locupletas inopiam. Doce me, Domine, quærere te in omnibus necessitatibus meis; tibi confidere: pati meas ærumnas in societate tua, neque timere quidquam cum illa. Et quia nunquam dormis, neque dormitas in cogitatione & cura de me; doce me in medio perturbationum hujus

hujus vitæ, habere semper cor meum in te, neque velle aliam consolationem, nisi quæ venerit à te: quia tu es verus consolator meus: & tu solus novisti necessitates meas, potesque mederi.

O sanctissima Virgo MARIA, Mater DEI, Protectio te quærentium! repræsenta meas necessitates oculis Domini: & quia libertas cordis mei radix est omnium malorum meorum, impetra mihi vincula sui amoris, & nodos Charitatis, ut semper maneam alligatus suæ divinæ majestati.

O Curia cælestis! quæ es tam secura & libera à miseris hujus vitæ, & tam inflammata amore hujus Domini; recordare, pauperum exulum filiorum Adæ: duc tecum cor meum, ut corripatur igne, quo semper tu flagras. Amen.

ÆRVNA XXXIV.

Domini per plateas Urbis ignominiosa
rapratio.

L

Quiens dies Veneris, toti generi humano felicissimus, longè diversis affectibus diversorum exceptus est. Nam Christo Domino nostro nullus gravior, nullus etiam illuxit optatior: nam is erat, in quo amor ejus, tot annis vi obedientiæ & voluntatis paternæ conclusus & restrictus, pleno impetu, tamen non sine magna suæ humanitatis impensa, erumperet: neque toto vitæ suæ tempore alacrior unquam animo & spiritu fuit; quia vidit eo die se, plenâ tandem obtentâ victoriâ, terram cælo juncturum, omnium electorum corda suæ voluntati subjecturum, redempturum omnes peccatores, & humano generi aperturum æternos & infinitos thesauros. Mundus autem beatum hunc diem aspexit instar cæci, & ignorantis immensa bona, quæ ipsi præparabantur; ipse verò tanquam perditus ne sperare quidem poterat, vel cogitare. Sed inimici Domini, qui tota nocte arserant malitiâ, & à Deo derelicti fuerant, ut essent ministri diaboli in perimendo Christo, ac simul executores æterni consilii, licet hoc ignorarent; nullam sibi horam, aut partem ejus diei perdendam.

Dies præparatæ

omnium felicissimus fuit.

Ccc

dam